



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Epistola Synodica. Concilivm Mediolanense Evsebio Fratri In Domino  
Salvtem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

° EPISTOLA SYNODICA.  
 CONCILIVM MEDIOLANENSE  
 EVSEBIO FRATRI IN DOMINO SALVTEM.

Extat in a-  
 ctis vitæ S.  
 Eusebii ex  
 archiuo  
 Vercellenfi  
 edita.

NON ignorat carissima nobis dilectio tua, quam sit  
 preciosum vinculum caritatis & pacis, domine  
 carissime frater. Et quia hoc custodire nos, qui ecclesie  
 catholice præsumus, diuina Domini præcepta docue-  
 runt: ideo plenum sanctitatis & iustitiæ arbitrati sumus,  
 vt carissimos coepiscopos nostros \* Eustomium & Ger-  
 minium, qui ad Concilium conuenimus, vt ad dilectio-  
 nem tuam pergerent, mitteremus, & omnia patienter  
 quæ aguntur insinuarent, & patefacerent; vt nobis con-  
 iuncta fides tua pariter atque concordia ea sequantur, &  
 quæ Deo & vnitati placeant, complectantur. Itaque sin-  
 cerissima prudentia tua (quod specialiter & salubriter  
 admonemus) audiat suprascriptos; & communicato pa-  
 riter cum his consilio, definiat quod de nomine hæreti-  
 corum Marcelli, & Photini, necnon & Athanasii sacri-  
 legi, totus prope definiuit orbis: ne non tam veritati,  
 quam \* intentioni parere videaris. Multa in literis nos  
 scribere non oportuit: eos enim ad te misimus, qui quod  
 literis nunc necesse non fuit comprehendere, ipsi rectius  
 prosequantur. Quod si alias, quam optamus, caritas  
 putauerit esse faciendum; scito iuxta ecclesiasticam di-  
 sciplinam id nos definituros, quod regula euangelica iu-  
 bet: nec nobis postea imputabis, qui infinitam patien-  
 tiam retinentes, fratres nostros memoratos, ad te vt ve-  
 nirent, deprecati sumus.

N O T A.

\* *Epistola.*] Ne mireris, lector amice, Athanasium hic sacrilegum  
 nominari; scias, hanc epistolam ab Arianis nomine totius Concilii  
 scriptam fuisse, eamque duos episcopos eiusdem factionis ad eum-  
 dem pertulisse, qui eum cogere, vel saltem rogando inducerent,  
 ne Synodo interesse dedignaretur.

EPISTOLA

ANNO  
 CHRISTI  
 335.

ANNO  
 CHRISTI  
 335.

\* Eudo-  
 xium

\* con-  
 tritioni

\* specia-  
 lem